

CAPUT IV.

De vetita exactione pro Sepulturis; & de juribus funeralibus.

1. Athanasius eorum reditum attribuit Ecclesia Constantinopolitana ut exequiæ sine sumptu fierent.
2. Id primum constituit Constantinus Magnus.
3. Haec leges quomodo tempore Justiniani Imp. neglectæ.
4. Leges illas Justinianus renovavit.
5. Sumptus & expensas funerum præscripsit; & ministrorum honoraria taxavit.
6. Inter hos ministros erant qui Decani dicebantur.
7. Quod hodie in Ecclesia Constantinopolitana Decani officium.
8. Qui Decani dicuntur, non absimiles hodiernis Alexianis.
9. Inter funeris ministros erant Acolythi: & quod horum munus?
10. Erant quoque Aetriae sive Canonica; quales hæ fuerunt; & quot funeribus adhibenda cum Acolythis.
11. Constitutio Justiniani per Leonem Imp. renovata.
12. Quare conveniret, ut exequiæ gratis fierent.
13. Tempore S. Gregorii querebantur Laici pro sepultura pretium exigere.
14. Id graviter reprehendit S. Gregorius.
15. Ipse vitium illud evellere studuit; monetque Episcopos ut id ipsum faciant.
16. Reprobatur consuetudinem exigendi pretium pro sepultura tamquam abusivam.
17. Leo IV. pro sepulturis quidquam exigere vetat.
18. Similiter & Hincmarus Remensis.
19. Id ipsum seculo 9. & 10. pluræ Concilia veterunt; & exactionem pro exequiis defunctorum ut Simoniacam damnat Concilium Turonense.
20. Id ipsum declarat Concilium Lateranense; neque consuetudinem contrariam valere dicit.
21. Consuetudinem non effodiendi sepulchrum priusquam pro terra pretium solvatur reprobatur Honorius III.
22. Consuetudo oblationis in exequiis faciendi non reprobatur.
23. Voluntarias oblationes à Clericis accipi permittit S. Gregorius.
24. Idem permittit Hincmarus Remensis.
25. Præsertim Concilia reprobantia exactiones, admittunt receptionem oblationum.
26. Simili modo Synodi recentiores reprobant exactiones, & probant oblationes.
27. Quid nomine oblationum veniat?
28. S. Carolus oblatum & Ecclesie consecratum dixit quidquid circa funus apponitur.
29. Idem censuit Episcopus Gratianopolitanus.
30. Non videtur id ubique receptum.
31. Inter oblata recensenda & Cleri honoraria.
32. Pallium feretro imponendum gratis dari optavit S. Carolus; & quid circa hoc habeat consuetudo Belgica?
33. Pallium semel feretro impositum esse Ecclesie consecratum declarat S. Carolus.
34. In Belgio usitata redemptiones; quidque in his cavendum.
35. Redemptiones hæc reprobasse videtur S. Carolus.
36. Oblationes funerariae cui competant?
37. Sicuti Clericis vetita exactiones, ita & laicis vetatur laudabiles offerendi consuetudines infringere.
38. Concilium Lateranense vult laudabiles consuetudines offerendi retineri.
39. Laudabiles consuetudines observari voluit S. Carolus.
40. Ut Parochis & Ecclesiis Parochialibus provideretur, oportuit consuetas oblationes stabilire; & quasi necessarias facere.

41. Ut abusus vitaretur, conveniens fuit, ut auctoritate Superiorum laudabiles consuetudines taxarentur.
42. Decreta Synodorum Cameracensium de hac taxatione.
43. In Belgio taxatio harum oblationum sive jurium funeralium sine consensu Magistratus agrè admittitur.
44. Taxa jurium Funeralium auctoritate Regia facta pro Comitatu Namurcensi.
45. Ordinatio Caroli V. super materia funeralium pro civitate Mechliniensi.
46. Pro mortuis extra civitatem ad exequias celebrandas in civitate hæc ordinatio cogi non vult hædes.
47. Vult unicuique liberum esse eligere genus sepulturae & exequiarum quod sibi placeat.
48. Recentior taxa Regia eorundem jurium pro civitate Mechliniensi.
49. Similes pro civitate Antverpiensi.
50. Natura jurium sic taxatorum similes est decimarum conditioni.
51. Jura taxata & consueta à Clero non excedenda.
52. Præsertim excedendi à S. Carolo rejeçti.
53. Cavere debet Clerus, ne quid ex pacto prætextu jurium exigat; sed solvi solitis sint contenti.
54. Evitare solite avaritia notam; nec ob non solutionem jurium sepulturam deferre.
55. Hæc delatio Sepulturae ab Imperatoribus etiam Ethnicis reprobata.
56. Eadem ratione improbat mos arrestandi corpora qua vehuntur per pagos; & qua hujus moris origo.
57. Hunc morem improbat Parliamentum Mechliniense.
58. Improbatur quoque S. Carolus.
59. Pignus accipere in securitatem solutionis jurium funeralium vetat S. Carolus.
60. Sepultura conveniens hodie ob defectum solutionis jurium non raro negatur: quod non est probandum.
61. Parochi Parochianis suis licet pauperibus honestam sepulturam meritiò procurare student.
62. Monitum Episcopi Gratianopolitani circa sepulturas pauperum.
63. Ob defectum competentia subinde Parochi ad duriorum jurium exactionem impelluntur.

**I.** Xtat in Codice Justiniano titulo De SS. Ecclesiis lex Anastasii Imperatoris in hæc verba: "Magna &c. Constitutio magnæ Ecclesiæ Constantinopolitane, septuaginta librarum auri reditum, eam ob causam, ut scilicet exequiæ sine sumptu & gratis fiant in urbe Constantinopolitana, & usque ad novos muros, & Blacernas.

**II.** Si Justiniano credimus, hujus constitutionis primus auctor non est Anastasius, sed Constantini M. lex est, per Anastasium innovata. Dicit enim in Novella 59. quæ inscribitur. De debita impensa in exequiis defunctorum, "Quod Constantinus rectè cogitans disposuit, & post hæc Anastasius firmavit, adjiciens etiam reditus causæ, hoc nos ipsi, cum periculum patitur cadere, reparare & dare cum omni cautela & terminis competentibus cogimur, illud facientes maxime immortales.

Constantinus itaque erectam à se Constantinopolim, Romanæ urbis dignitate & privilegiis donavit; & ejus Ecclesiæ mille & centum tabernacula seu officinas sitas in præcipuis civitatis foris, & ab omni Regia exactione ac publico onere liberæ adscriptæ, ex quarum reditu omnes funerum impensæ solverentur.

**III.** Verùm hoc Principis donum in alienos usus jam tempore Justiniani converti videbatur; vel certe con-

tra intentionem donantis, funeris impensa non è publico erogabatur; sed ab hæredibus defunctorum exigebatur; uti testatur ipse Justinianus. "Plurimi plerumque aucterunt nos (inquit) dicentes non similibus causam procedere, neque sine mercede fieri defunctorum exequias, sed exigere amare, & inveniri plurima foris nomina & corpora quæ etiam in vitos exigunt lugentes, & cogunt dare non habentes, hæc omnia iustum judicium vimus competentem correctione digna facere.

**IV.** Itaque hæc Novellâ rursus constituit Justinianus, ut Ecclesia Constantinopolitana ex officinis mille & centum ab omni onere liberis, & reditu ab Anastasio adjecto, impensas funerum suppeditaret; nihilque causâ funeris ab hæredibus exigatur.

**V.** Utque firmior esset ejus observantia, etiam hæc Novellâ modum sumptibus funerum præscribitur; quantumque per semestria singula oporteat OEconomos Ecclesiæ Constantinopolitanæ dare his qui funeri operam impendunt, taxatur.

**VI.** Inter hos funeri assistentes erant, qui Decani dicebantur, qui & Lectorii sive Copiæ vel etiam Vespiliones & fossarii dicti sunt; quorum officium erat lectum seu feretrum cui cadaver erat impositum, efferre, & corpus inhumare; de quibus fit etiam mentio in L. 4. Cod. de SS. Ecclesiis, ubi numerus eorum restringitur ad non-gentos & quinquaginta.

**VII.** In notitia Ecclesiæ Constantinopolitanæ apud Goartium legitur: "Decanus Sacerdotes ad jura sua & oblationum partem accipiendam advocat. "Hanc exponens Goartius ait: "Decanus idem est quod Vespilio seu Lectorius, & ut Epiphanius loquitur, qui mortuorum efferret corpora. Unus hic tantum esse perhibetur, supra alios videlicet de grege plebis ad efferendos mortuos absque Ecclesiastico titulo assumptos eminentior, cujus est etiam ea Provincia, ut Sacerdotes componat in juribus & contributionibus, ad eos ex funeribus & alio quovis obsequio provenientibus, accipiendis.

**VIII.** Hi igitur Decani sui Vespiliones vel Lectorii similes fuere hodiernis nostris Fratribus Cellitis seu Alexianis, qui sepeliendis inhumandisque ac curandis mortuorum corporibus se impendunt.

**IX.** Inter funerum ministros, quibus & è publico honorarium constituit, erant Acolythi & Aetriae sive Canonice Acolythi erant quasi aetriae, quorum officium erant funeri funalia sive faces præferre; statuitque ut singulis funeribus saltem tres Acolythi assistant, qui nihil penitus accipient; scilicet ab hæredibus defuncti.

**X.** Aetriae sive Canonice erant mulieres quæ præcinendo & psallendo funus præcedebant, quas octo ut minus singulis funeribus adesse voluit.

Verba Justiniani sunt in hac Novella cap. 4. §. 1. "Sanctum singulo lecto (id est feretro) gratis dato unum acriterium dari, acriterium aut Canonice erant non minus octo mulierum præcedentium lectum & psallentium, & tribus Acolythis, qui nihil penitus accipient.

**XI.** Cumque rursus lapsu temporis hæc Constitutio negligere, ac proventus in alios usus detorquerentur, Leo Sapiens legem tulit, qua decrevit, ut quæ de his jam olim edita Constitutio est, innotæ & inviolata permaneat. Novell. 12.

**XII.** Optandum sanè esset, ut quod in Constantinopolitana Ecclesia ex pia Imperatorum liberalitate fuit ordinatum, etiam hodie in omnibus Ecclesiis servari posset; ipsæque etiam pauperum exequiæ, & funeralia honorifice & religiose prout eorum merita & vitæ conditio exigunt, sine ipsorum sumptu agerentur; ipsisque Clericis occasio adimeretur, de hoc pietatis ac religionis opere quasi mercandi, & de alieno luctulorum captandi.

**XIII.** Scribit ad Januariam Episcopum Calaritanum S. Gregorius lib. 7. in dicit. 2. Epist. 56. "Quæta est nobis charissima femina, quod ab ea centum solidos pro filia sua sepultura fraternitas vestra non erubescat exigere, atque ei super doloris gemitum, majorem dispendii studeat inferre molestiam.

**XIV.** Post hæc subjungit Gregorius: "Quod si ita se veritas habet, quia grave nimis, & procul est à Sacerdotis officio pretium de terra concessa putredini quærere, & de alieno velle facere luctu compendium; ab hac se petitione fraternitas vestra contineat, & molestam ei de cætero non existat; maxime quia & Hortolanum quondam, de quo se ipsam asserit filiam suscepisse, Ecclesiæ vestræ non in parva quantitate munificum memorat exitisse.

**XV.** Deinde narrat, quomodo ipse vitium hoc extirpare studuerit; & quod exemplo etiam Gentilium Episcopi excitari debeant, ut sepulturam gratis annuant. Hoc autem vitium (ait) & nos postquam, Deo auctore, ad Episcopatus honorem accessimus, de Ecclesia nostra omnino vetuimus, & pravam denuò consuetudinem nequaquam usurpari permittimus; memores quia dum Abraham à filiis Emor, hoc est, Ephron, filio Secor sepulchrum pretio ad humandum corpus conjugis postularet, pretium accipere renuit. Si ergo tantæ considerationis paganus vir fuit, quanto magis nos qui Sacerdotes dicimur, hoc facere non debemus? Unde ne hoc avaritiæ vitium, ne vel in alienis denuò tentari præsumatur admoneo.

Hanc sententiam Gregorii refert Gratianus caus. 13. qu. 2. Can. 12.

**XVI.** Et dono Episcopo Messano scribens idem sanctus Pontifex lib. 7. Indict. 1. Epist. 4. morem aliquid pro sepultura exigendi vocat illicitam antiquam consuetudinem. Verba ejus sunt: "Cum secundum nostrum institutum noveris nos illicitam antiquam consuetudinem omnino vetuisse, nec cuiquam assensum præbere, ut loca humandi corporis pretio possint adipisci.

**XVII.** Seculo 9. Leo IV. in homilia seu Epistola De Cura Pastoralis ad omnes Sacerdotes curam animarum gerentes ait: "Nullus vestrum pro mortuis sepeliendis præmium aut munus exigat.

**XVIII.** Hincmarus Rhemensis in litteris ad Hedenulphum Laudunensem Episcopum ait: "Episcopus aut Presbyter pro sepultura obaudiens Decreta B. Gregorii, pretium de terra concessa putredini quemquam non permittat in sua Parochia quærere, & de alieno velle luctu compendium.

Eandem prohibitionem reiteravit in primo suo Capitulari cap. 12. & in tertio cap. 2. additque hæc: Sicut Sacra & Canonice sanxit auctoritas.

**XIX.** Sub idem tempus Concilium Meldense Can. 72. verbis utens S. Gregorii ait: "Nemo pro loco sepulturae pretium de terra putredini concessa, & de alieno velle facere luctu compendium, aliquo modo tentet.

Plura sunt tum Synodorum, tum Episcoporum Decreta hæc sepulturarum merceniam execrantia; & apud Gratianum caus. 13. qu. 2. Can. 14. refertur Decretum Concilii Triburiensis; & Can. 15. aliud sub nomine Synodi Varenis, sed quod revera est Decretum Synodi Nannatenis; & Can. 12. extat sententia S. Hieronymi hæc conformis.

His Decretis insistentes posteriores Synodi & summi Pontifices, uno consensu exactiones omnes pro sepeliendis mortuis non tantum prohibuerunt, sed ut Simoniacas reprobantur; idque non obstante quocumque contraria consuetudine.

Extat in Cap. 8. De Simonia Decretum Concilii Turonensis sub Alexandro III. "Pro sepultura quoque & crisma.

„crismatis & olei receptione, nulla cuiusquam pretii exactio attentetur. Addeque: „Nec sub obtentu cuiusquam consuetudinis reatum suum quisquam tueatur, „quia diurnitas temporis non diminuit peccata, sed auget.

XX. Et in Cap. 9. eod. refertur Constitutio Concilii Lateranensis sub Alexandro III. ubi imprimis dicitur: „Horribile nimis est, quod in quibusdam Ecclesiis, locum venalitas perhibetur habere, ita ut & pro sepulturis & exequiis mortuorum aliquid requiratur.

„Putant autem (pergit Concilium) plures ex hoc, licere, quia legem mortis de longa invaluisse consuetudine arbitrantur; non attendentes quod tanto graviora sunt crimina, quanto diutius infelicem animam tenuerunt allegatam.

XXI. Denique Honorius III. scribit Magalonesi Episcopo in Cap. 13. De Sepult. „Abolenda consuetudinis per veritas apud montem Pessulan. (ut dicitur) inolevit, ut decedentibus non prius permittatur effodi sepultura, quam pro terra, in qua sepeliendi sunt, certum pretium Ecclesiae persolvatur; & infra. Mandamus, quatenus cum loci Diocetanus existas, inhibeas clericis ne quicquam omnino praesumant exigere hac de causa.

XXII. Verum cum hisce Decretis nequaquam reproberetur laudabilis, & à primis seculis in Ecclesia recepta consuetudo in funeribus oblationes pro mortuis faciendis; proinde neque Clericis eas recipiendi libertas adempta est.

XXIII. Et quidem S. Gregorius in citata Epist. 56. postquam exactiorem pro sepultura reprobavit, addit: „Sed si quando aliquem in Ecclesia sepeliri conceditis, si quidem parentes ipsius, proximi, vel heredes pro luminariis sponte offerre quid voluerint, accipere non veramus.

XXIV. Similiter Hincmarus Rhemensis in allegato primo Capitulari prohibens quidquam exigi aut extorqueri, addit: „Si quid autem Altari vel Ecclesiae, aut sibi (Presbytero) gratis oblatum fuerit à devotis quibuslibet, cum benignitate recipere non interdiximus: „Et rursus in altero Capitulari. Si autem aliquid quisquam gratis offerre voluerit post sepultum corpus, hoc suscipi non veramus.

XXV. In Concilio Meldensi etiam hac clausula his verbis exprimitur: „Si quando autem proximi vel heredes sponte aliquid conferre in Ecclesia voluerint in elemosinam defuncti, accipere non veramus. Peti verò, vel exigi aliquid omnino prohibemus.

Decreta Conciliorum Triburiensis & Nannatensis supra citata apud Gratianum, eandem clausulam continent.

XXVI. Eodem tenore & Synodorum nostrae penè ætatis Decreta concipiuntur; ut nimirum, exactiones & pactiones interdican; oblationes verò probent; hancque à Parochis aliisque quibus de jure vel consuetudine aliove legitimo titulo competunt, recipere permittant.

XXVII. Nomine oblationum non veniunt hic tantum illa quae in Missis exequiarum aut anniversariorum ad altare offeruntur; sed & luminaria aliaque quae circa funus sive occasione funeris à consanguineis heredibusque defuncti in funeris pompam impenduntur.

XXVIII. Unde S. Carolus in suo Concilio Mediolanensi 1. tit. De Funeribus & Exequiis ait: „Candelae, omnes, cerei & quae intortitia vocantur, quae circum crucem & cadaver ad Ecclesiam adferuntur, & alia, quae circa pheretrum, & in altaribus, ac reliquis in locis, dum divina officia in funere celebrantur, hæredam impensa accenduntur, ita Deo oblata esse intelligantur, ut ejus Ecclesiae sacrificia, in qua mortui corpus humandum erit, continuo addita sint.

XXIX. Sancti Caroli vestigia premens Cardinalis Gratianopolitanus in suis Ordinationibus Synodalibus tit. 4. art. 2. cap. 15. Id ipsum declaravit. Verba ipsius sunt: *Tout ce qui est offert à l'Eglise n'en doit jamais être retiré; c'est pourquoy Nous ordonnons que les cierges & flambeaux qui auront esté allumés aux convois, ou dans l'Eglise à l'Autel, demeureront aux Curez, ou à ceux à qui ils appartiennent, par le droit & par la coutume, à la réserve des cierges des Confreries, & que les Confreres tiennent à leurs mains pour accompagner le corps de leur Confrere, qui seront retirés par leurs Officiers.* Id est. Quidquid Ecclesiae oblatum est auferri ab ea non potest: hinc statui-mus ut candelae & faces quae accensae fuerint in comitatu vel in Altari Templi, Parocho cedant, aut iis ad quos iure aut consuetudine pertinent; hinc exceptis Confraternitatum candelis quas in deducendo Confratres praetulerint, quae per ipsorum administratos reposcentur.

XXX. Id nihilominus non ubique videtur receptum; ac nominatim legitur in Regulamento emanato à Curia Brabantiae an. 1685. pro civitate Antverpiensi super iuribus sepulturae art. 12. quod faces quae positae fuere circa feretrum non poterunt retineri ab Ecclesia; sed referentur ad domum mortuariam, ad dispositionem haeredum vel Executorum. Verba articuli sunt: *Das men ten obfichte vande flambeevren gestaen hebbende rontom de haere in gene Kercke vande selve Stadt.* (Antverpen) *het sal moeggen behouden maer dat niet deselve sal laeten voverkeren naer het Sterfhuys om te blijven in dispositie vande Erfgenaemen of Executor van 't selve.* Id est. Quoad faces circum circa feretrum collocatas, nulla ejusdem civitatis Ecclesia has sibi poterit vindicare, verum ad domum mortuariam referri eas liberum erit, ut de iis aut haeredes, aut executores disponant.

XXXI. Praeter illa hic enumerata, inter oblationes etiam comprehendenda sunt, quae Clericis funus comitantibus, & exequias aliave Officia funeralia agentibus dari solent; de quibus loquitur S. Carolus dicens: „Excipimus (à superiori Decreto) ea quae Clericis ejusvis elemosinae causa dari solent, & quae funeralium nomine Cathedralibus & Parochialibus Ecclesiis ex sacris Canonibus debentur.

XXXII. Vult in super S. Carolus; ut „dent operam, Episcopi diligenti cohortatione, ut in singulis Parochiis, communibus eorum sumptibus qui sunt in Parochia, comparetur pallium, quod mortuo imponi solet; idque omnibus in funere gratis commodetur; quod si Parochiani id recusarint, singuli Parochi, & alii Ecclesiarum curatarum rectores pallium ad hujusmodi usum emant; pro quo mortuorum heredes illis minimum aliquid Episcopi arbitrato largiantur.

Hic in plerisque Ecclesiis, pallium hujusmodi habetur; sed sumptibus Ecclesiae vel fabricae plerumque comparatur; pro quo aliquid solvi solet; Superiorum est attendere, ne ejus occasione nimis petatur.

XXXIII. Addit Carolus: „Si verò nobiles homines, aureo vel serico vel omnino pretioso pallio uti voluerint; pecunia sua faciendum curent; quod ad ejusmodi cadaverem usum nullo modo in posterum adhibeatur, sed illi Ecclesiae, in qua mortuus sepultus fuerit, illico post funus acquisitum sit, & in ejus ornamenta convertatur.

XXXIV. Consueverunt hæc & similia, ad pompam funeris vel feretro, vel altaribus, vel etiam in chori parietibus appendenda vela sive panni lugubres, certà redimi elemosinâ, Fabricae, vel Canonici, aut Parocho, juxta variam locorum consuetudinem, cedente; quemadmodum & ipsa in specie oblata, in quorum locum hæc redemptionis pecunia succedit; pro varia locorum consuetudine illi sive cedunt; quod & innuit

S. Ca-

S. Carolus in suo Concilio Mediol. II. Decreto 16. explanans hac in parte Decretum primi Concilii supra relatum, quo significabatur, oblata cedere Sacrificiis.

Sed hac in redemptione illud cavendum, ne eo titulo pompae funeris nimium exerceant; atque etiam hi, quorum conditio & dignitas hujusmodi externum apparatus non permittunt ad similem saltum, mediante alicujus modicæ pecuniæ redemptione proficiant; Parochi autem & Clerici, qui intertem per similes redemptiones lucrum captant faciliores reddantur, ad externum illum saltum permittendum, ut hoc pacto saltem lucrum ex redemptione proveniens habeant, Accedit, quod hujusmodi redemptiones, praesertim quando hætenus consuetudine aut Superiorum auctoritate non sunt determinatae, mercimoniam quamdam redoleant, solumque laici cum Parochis & Clericis super his quasi mercari.

XXXV. Hinc S. Carolus in suo Concilio Mediol. IV. tit. De Funeribus & Exequiis statuit: „Ne pactiones de funere, aut de exequiis pro mortuo celebrandis cum defuncti herede, aut alio ad quem pertineat, à Parocho, aliove ea conditione fiant, ut certa ceræ pars, quae exequiarum officii supererit, ipsi heredi aut alteri restituantur.

Has redemptiones improbare quoque videtur citata Ordinatio Curiae Brabantiae pro civitate Antverpiensi art. 14. in verbis: *Dat in toecommende sullen cessen alle REDEMPTIE over cruyssen, vaaenen, baer-cleeden, behangen vande chooren, en de diergelycke; maer sal een ieder schuldigh syn sighe te contenten met de rughten hier onder in 't particulier aengeruert.* Id est. Nulla in posterum fiet redemptio ratione crucis quae praefertur, labati, vestis sepulchralis, vestitionis chori aut similibus; sed unicuique satis erit quod per jura infra specialiter exprimenda concedetur.

XXXVI. Cessante particulari consuetudine, aut privilegio aliove titulo, oblationes hæc funeraliæ tamquam jura Pastoralia spectant ad illos, quibus alia jura Pastoralia competunt; atque de his, sicuti de aliis oblationibus, judicandum conformiter ad illa quae supra tit. 33. c. fin. dicta sunt. Et ita in specie de pecunia quae in redemptionem panni lugubris parietibus Ecclesiae appensi solvebatur respondit Zyp. Consult. 6. De Sepult.

XXXVII. Sicuti Clericis severè prohibitum fuit, ne super sepulturis aut exequiis aliisve similibus Religionis operibus pacifcantur, vel hac occasione extortiones faciant; ita quoque laicis inculcatum fuit, ne pias & laudabiles ac receptas offerendi consuetudines facile infringant.

XXXVIII. Testatur Concilium Lateranense in Cap. 42. De Simonia, „Ad Apostolicam audientiam, frequenti relatione pervenisse, quod quidam Clerici pro exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium & similibus, pecuniam exigunt & extorquent; & si forte eorum cupiditati non fuerit satisfactum, & si forte eorum cupiditati non fuerit satisfactum, E impedimenta fictitia, fraudulenter opponunt. E contra verò quidam laici laudabilem consuetudinem, erga sanctam Ecclesiam, piâ devotione Fidelium introductam, ex fermento hæreticæ pravitate nituntur infringere, sub praetextu Canonicae pietatis.

His querelis occurrens Concilium ait: „Quapropter super his pravæ exactiones fieri prohibemus, & pias consuetudines praecipimus observari; statuentes, ut liberè conferantur Ecclesiastica Sacramenta, sed per Episcopum loci veritate cognita compescantur, qui malitiosè nituntur laudabilem consuetudinem immutare.

Ex hoc Decreto conclusum fuit, exactiones quidem in exequiis mortuorum veritas esse; sed & laudabiles consuetudines offerendi à laicis esse observandas; imò

Van Espen Jur. Eccl. P. II.

etiam per Episcopum ad earum observantiam urgeri posse; quod non solum praxis, sed & Synodi posteriores probarunt.

XXXIX. Et quidem S. Carolus in suo Concilio Mediol. I. De Funeribus & Exequiis statuit imprimis: „Exequiarum, sepulturae & anniversariorum causa nemini quidquam pacisci, aut exigere liceat, neque etiam petere, vel quid aliud committere, quod simoniacè labis, aut fordidae avaritiæ suspicionem habeat.

Huic dein decreto immediatè subjungit: „Pias tamen in his consuetudines servari jubemus; cujus rei Episcopi curam suscipiat.

Ulterius cum prius illud Decretum contra exactiones & pactiones Rectorum Ecclesiarum in exequiis in eam partem à plerisque accipi animadvertisset, quod occasione inde sumptâ, Ecclesiae, non servato piam consuetudinum usu, debitis elemosynis defraudentur, in suo Concilio Mediol. II. parte 3. Decreto 17. hac in modo declarationis seu explanationis prioris Decreti addidit: „Quare Episcopus habita & locorum, & personarum ratione, in funeribus & exequiis, quae pia instituta & consuetudines laudabiles sibi videbuntur, arbitrato suo servari jubet sacrorum canonum auctoritate; contumacelque compellat omni juris remedio.

XL. Postquam autem decimæ personales desierunt, & decimæ reales ac mixtae sensim ad Monasteria & Capitula Canonicorum devolutae fuere, necessitas quodammodo coegit, consuetudines has offerendi stabilire; ipsosque laicos quasi constringere ad ipsas oblationes hætenus consuetas; ut Parochorum & Ecclesiarum Parochialium necessitatibus provideretur; crediturque fuit, æquum esse, proprio Pastori tam pro officio exequiarum, quam reliquis charitatis officii defuncto, vitâ ejus durante, impensis, debitum honorarium post mortem praestari. Ut loquitur Syn. P. II. Cam. 1. c. 8.

XLI. Sed ne circa has laudabiles piasque consuetudines, vel à Clericis per excessum, vel à laicis per defectum aberretur, omnesque contentiones, & etiam fordidae aut suspectae conventiones evitentur, merito caverunt Synodi, ut modus ac mensura hisce oblationibus, auctoritate Superiorum ponatur; determineturque quid juxta laudabilem piamque consuetudinem à laicis solvi, & à Clericis praestari debeat; quod auctoritate Episcoporum fieri in supra allegato Decreto mandavit S. Carolus.

XLII. Similiter Synodus P. II. Cam. in citato Decreto, quo æquum declaravit, ut proprio Pastori tam pro officio exequiarum, quam reliquis charitatis officii defuncto, vitâ ejus durante, impensis, debitum honorarium post mortem praestaretur, advertens, difficultimum esse, hoc (debitum honorarium) uniformiter pro singulis locis statuere & definire volunt, ut curent Episcopi in suis singulis Diocesis circa id providere, prout (ait) statuit c. 7. tituli De Decimis primi Concilii Provincialis.

Illo autem cap. 7. Synodus illa Provincialis decrevit: „In Ecclesiis, in quibus jura Pastoralia vel conventiones vel auctoritate Magistratus sunt ordinata ac terminata, ea jura maneat, si æqua fuerint; si minus vel augmentur, vel minuantur Episcopi ac Magistratus judicio. In quibus autem non sunt determinata, ineatur ratio cum eodem Magistratu ut fiat.

XLIII. Supponit Synodus in hoc Decreto, taxationem horum jurium, & Episcoporum, & magistratuum auctoritate fieri.

Verisimile est, Synodum hic attendisse harum & vicinarum Provincialium morem & consuetudinem; quae jura illa temporalia citra auctoritatem magistratus civilis ægrè laicis imponi sinerent, uti supra tit. 1. cap. 3. notavimus: ubi unâ dictum est esse convenientem, ut utraque potestate, hæc jura taxentur; ne alias laicis, de excessu Ecclesiasticorum in taxandis his iuribus, querendi detur praetextus.

H h h h

XLIV.